

aqua examinentur. Fratricidas autem <sup>et parricidas,</sup> A siue sacerdotum interfectores et hujusmodi capitulum criminum reos archipresbyter assignet comiti, vel duci, qui per manum et ventrem ferratos, de regno ejiciat, ut instar Cain jugi et profugi circumceant terram. Tabernam quoque, quæ est radix omnium malorum, et parari et paratam comparari prohibemus. Et qui fuerit hujus decreti violator tabernarius, in foro ad palum suspensus, et usque ad præconis fastidium cæsus, depiletur; res tamen ejus non infiscentur, sed potus tantum in terram projiciatur, ne quis eo polluat; potatores autem deprehensi non prius de carcere exeant, quam in fiscum ducis unusquisque tercentos nummos componat. Fora vero Dominicis diebus fieri

interdicimus, quæ imo maxime in his celebrant regionibus, ut cæteris diebus suis vacent operibus. Si quis autem Dominicis diebus vel festis publicè ad ecclesiam ferri indictis, in servili opere inventus fuerit, ipsum opus, et quod in opere inventum fuerit, archipresbyter tollat, et tercentos nummos in fiscum ducis componat. Et qui in agris, vel silvis sepeliunt mortuos, ab hujusmodi archipresbyter ovem tollat, et tercentos nummos in fiscum ducis solvant; mortuum tamen in polyandrio fidelium condemnat denuo. Hæc sunt quæ Deus oculi, hæc sunt quæ S. Adalbertus pertæsus, non sans deseruit oves, et ad exteras maluit ire doctores greges. Severus episcopus dixit: «Ista ducis delicta justa sit anathemate firma.»

## APPENDIX AD SÆCULUM IX

ANNO DOMINI DCCCLX

### ANGILBERTUS PUSTERLA

ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS

#### NOTITIA HISTORICA IN ANGILBERTUM

(UGHELLI, *Italia sacra*, IV, 79.)

Angilbertus Pusterla Angilberto, hujus nominis primo, successit an. 827. Hic ille Angilbertus est quæ tantæ dignitatis corruptit felicitas, cum aliquandiu moderatione antea usus prudenter Mediolanensem administrasset Ecclesiam. Suffultus enim, ut quidam narrant, Magni Caroli privilegiis et gratiis, charusque Ludovico Pio imperatori Lotharioque ejusdem filio, a Romana Ecclesia ita defecit, ut per inauditam superbiam cum Romano pontifice de potestate deque dignitate decertare non verecundaretur. Pessimam exemplum ita ad successores pertransiit, ut per ducentos ipsos annos ea contumacia illos abduxerit infelicitate. Cæterum hic Angilbertus confirmationem omnium privilegiorum, a Carolo olim Magno suæ Ecclesie concessorum a Ludovico Pio obtinuit; exstatque ejusdem epistola ad eundem imperatorem de rerum ecclesiasticarum statu, quem illius jussu, adjuncto sibi Andrea patriarcha Aquileiensi collega, recognoverat. Caloceri reliquias transtulit. Plura donaria Ambrosianæ basilicæ ejusque monachis dilargitus est, quos Gaudentium abbatem præfecerat, quos ideo pluribus aliis immunitatibus atque favoribus firmavit, ut in ipsius diplomate videre est, cui momentum addidit Lotharii imperatoris auctoritas. Illud nos ex authentico exemplari eruimus sacre Romanæ Rotæ oblatum, cum inter Ambrosianum clerum monachosque gratias de jurisdictione exæstuasset.

#### RESCRIPTUM

Consultationis seu exhortationis episcoporum ad dominum Hludovicum imperatorem

(BALUZ., *Capitul.* II, 351.)

Domino gloriosissimo regi Hludovico pax et vita et victoria ministretur a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo.

Nos quidem in Dei nomine ANGILBERTUS archiepiscopus et ANDREAS patriarcha una cum JOSEPH archicapellano, cum ad hanc synodum in urbe regia Ti-

cino congregatam venissemus, replicavimus eis vestram exhortationem, qua viva voce ad nos fuistis, flagrantes Spiritus sancti munere, et illius quam hujus ætatis teneritudo capere potuisse videtur, totius modestiæ et gravitatis atque sapientie conditam protulimus, etiam et coram eis